DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

HYDROPE SACCATO,

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE

PRO

DOCTORIS MEDICI HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

A. D. XXX. MARTII cIↃIↃCCXCV.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS GODOFREDVS KRINIS

GRAEBELA - SILESIVS.

TRAIECTI AD VIADRVM

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO REVERENDO
ATQVE
DOCTISSIMO
MICHAELI THEOPHILO
GONDLATSCH
VERBI DIVINI MINISTRO
DIGNISSIMO
PAROCHO IN LANGHELWIGSDORFF

FAVTORI SVO PIE VENERANDO

HAS

ACADEMICAE INDVSTRIAE PRIMITIAS

PROPTER

MVLTA MAXIMAQVE IN SE COLLATA

BENEFICIA

NVLLO VNQVAM STVDIO

REDIMENDA,

AT

MEMORI ANIMO PER AEVVM RECOLENDA,

GRATISSIMA MENTE

D. D. D.

AVCTOR.

PROOEMIVM.

Omnes fere auctores, neque ſubleſtae fidei, comprobant, hydropes eos inter morbos eſſe numerandos, qui omni ab aeuo medicis negotium ac moleſtiam faceſſiuerint. Solent tamen ſatis frequenter occurrere et omni quoque aetati ſexuique accidere, vt adeo ea in re certe momentoſa magis magisque perſcrutanda etiam nunc perſeuerare, vtique operae pretium ſit. Multi quidem iam longo abhinc tempore fuerunt viri, iique experientiſſimi, quos de hydropibus egregie ſcripſiſſe ſcimus; aſt nondum ſatis exploratum aut elaboratum eſt illud hydropum genus, quod hydropes ſaccatos ſiue cyſticos comprehendit. Quum vero quisque medendi artem exerciturus publicum antea paratae doctrinae ſpecimen edere debeat, ac mihi anno ſuperiori in patria mea per breue tempus verſanti foeminam, quam hydrope ſaccato ouarii laboraſſe, omnia oſtenderunt phae-

phaenomena, omni adhibita cura et opera morbo consumtam vita concedere, non sine magna commiseratione videre, contingeret, protinus, me specimen meum inaugurale editurum, de hydrope saccato verba quaedam facere, mihi proposui. Veniam vero adpeto, si tenues mei ingenii vires huius materiei grauitati non respondeant; nam opus omnibus partibus absolutum scribere, vix tironis est, qui obseruationibus multis plerumque caret. Quod ordinem huius dissertationis adtinet, omnem tractationem in quinque diduxi sectiones, quarum prima rei definitionem atque diuersas morbi species exhibet, secunda vero praecipuas earum caussas, tertia diagnosin, quarta prognosin et vltima dein morbi curandi modum continet. Si vero quis censoris partes agere velit, cum omnibus precibus rogo, ne antea reputare omittat, me minime gloriae captandae caussa scriptoris munus suscepisse, qui potius consuetudini priscae meo labore satisfecisse, contentus fuero.

SECTIO

SECTIO I.

MORBI DEFINITIO.

§. I.

Affectione illa corporis humani morbosa, cui hydropis saccati nomen dederunt medici, praeternaturalis intelligitur laticis seroso-lymphatici in aliqua parte accumulatio, vbi latex iste in propria, vndique occlusa, durante morbo demum formata includitur capsula, cuius cauo nulla cum naturali corporis quacunque cauitate societas est manifesta.

§. II.

Horum intuitu necesse videtur, vt morbum nostrum tanquam peculiare hydropis genus accipiamus: quum eo adtributo, quod semper proprium sibi saccum conformat, ab omnibus hydropis speciebus magnopere discrepet; attamen nihil impedit, quo minus in definiendis huius generis speciebus, eundem ordinem quam in ceteris hydropis generibus sequamur easque pro partium, qui-

quibus ſedem ſuam habere ſolent diuerſitate, conſtituamus.

Omnis igitur aquae collectio, quae cum definitione noſtra conuenit, iure meritoque inter generis hydropis ſaccati ſpecies numerari poterit. Huc vsque tamen nonnullae nimium carent certis obſeruationibus, quam vt has ad ſpecies poſſint referri. Conſtat quidem e funerum diſſectionibus, ſimiles in hepate, liene, pancreate, ventriculo atque inteſtinis tumores aquoſos inuentos eſſe; ſacco tamen proprio et peculiari aquam non continente et viſceris, ea labe adfecti, ſubſtantia a latice prorſus deſtructa, non tam accurate hydropi ſaccato, quam potius illis, quos recentiores hydropes ſplanchnicos vocant, adnumerandae ſunt aquoſae illae viſcerum degenerationes.

§. III.

Qui vero experientia, optima medicinae magiſtra, ſatis certe confirmati ſunt ſaccati hydropes, ſequentibus comprehenduntur:

α) Hydrops ſaccatus cerebri: aquae in ventriculis cerebri accumulatio, vbi ſaccus aquam includens a pia matre in ventriculos illos producta, degenerata, conformatus eſt *).

β) Hy-

*) Ex obſeruatione oppido rara I. I. BERENDS praeceptoris patris, quam prorſus memorabilem

β) Hydrops faccatus pectoris, fiquidem faccus talis, aqua impletus, inter fuperficiem pleurae externam atque coftarum mufculorumque intercoftalium internam haeret et partim a pleura, partim a tela cellulofa, illam ad coftas et mufculos adnectente, conftituitur.

γ) Hydrops faccatus peritonaei, eft inter peritonaeum et cellulofam, quoad fabricam fuam deformatam, aut inter hanc et mufculos abdominales aquae collectio.

δ) Hydrops faccatus omenti, ficubi humor aquofus inter omenti duplicaturam effufus eft.

ε) Hydrops faccatus ouarii, quando idem alterutri ouario contingit.

ζ) Hydrocele cyftica, cui eft fedes in tela cellulofa, inter funiculi fpermatici et teftium membranas verfante; a communi hydrocele eo diftinguitur, quod tumor tactui non ita vt in illa cedit, imo refiftit.

η) Hydroepiplocele cyftica, vbi epiploon elapfum conftituit faccum et aquam continet.

SECTIO

---

lem a peritiffimo medico accurate enarratam vide in D. SAMVEL SCHAARSCHMIDTS *Medic. Chirurg. Nachrichten. Berlin* 1743. *I. Iahrgang.* p. 55.

SECTIO II.
DE HYDROPIS SACCATI CAVSSIS.

§. IV.

Proxima morbi cauſſa tum formalis eſt, tum materialis: conſiſtit prior eiusdem pars in ſublata vaſorum exhalantium ac reſorbentium ad ſe inuicem debita vis vitalis relatione, poſterior in perpetuo adfluente et ſe colligente latice. Conſtat e phyſiologia, ex vltimis arteriolarum finibus halitum quendam in telae cellulofae cauernulas exſpirari et vaſorum lymphaticorum initiis pari fere copia reſorberi; ſimulac vero decens virium, quibus illa vaſcula functiones ſuas perficere valent, relatio eſt ſublata, ſiue arteriolae plus exſudent, quam vaſcula lymphatica recipere queant, ſiue haec vaporem, etſi debito modo emiſſum, inhalare nequeant, non fieri non poteſt, quin halitus, in cellulis relictus, in verum ſeſe accumulet laticem. Hic vero, continuante adfluxu ſenſim ſenſimque increſcit et telae cellulofae a ſe inuicem remouet lamellas, quae ſibi finitimis appropinquantur, eas comprimunt, ſibique alligunt; quo pacto cauernulae ambitus iamiam craſſeſcit ſicque ſaccus futurus originem ducit. Humores occluſi atque continuo augeſcentes ſaccum non modo ma-

gis magisque diſtendunt, ſed lympha coagulabilis eis contenta quietis auxilio ſecedit, ad caui parietes adhaereſcit eosque obducit et ita ſua vi plaſtica pertexit ſaccum, qui, ſicubi et aliae cooperatae fuerunt cauſſae poſtea explicandae, tantam craſſitiem acquirit, vt adeo forſice eum perſecare vix liceat, et ſecundum laticis adfluentis copiam interdum ingentem amplitudinem nanciſcatur.

§. V.

Ex hactenus dictis patet, omnia, quae virium illarum relationem tollere atque, aut halitus illius exhalationem augere, aut reſorbtionem minuere, quin prorſus abolere poſſunt, ad cauſſas noſtri morbi remotas referenda eſſe.

§. VI.

Quod ad vaſa lymphatica pertinet, in culpa eſſe poteſt eorum atonia, cuius ſedes ſiue in vaſculis ipſis, ſiue in oſculis ſit, hoc in caſu vapores, decente copia exhalatos imbibere, illo vlterius promouere haud poterunt, vtroque autem eos in tela celluloſa relinquent et anſam ad hunc morbum dabunt. Telae celluloſae atonia quoque ſymbolam ſuam adferre poteſt, etenim phyſiologia docet, vapores illos ex arteriolis in telae celluloſae cauernulas deponi et a vaſculorum lymphaticorum initiis ex his educi; nec tamen credibile eſt, telam ipſam hic otioſam eſſe, contra propabilius eſt, eam illos

illos vapores inde ab exhalantium finibus ad inhalantium initia accelerare: vnde manifeſtum eſt, amiſſa telae celluloſae virtute, huic negotio inſeruiente, aquae collectionem naſci et cellularum parietes, iam debilitatas, facillime extendi poſſe. Porro ad remotas noſtri morbi cauſſas ſpectare videtur arteriolarum, aut irritabilitas pathologica, qua laborantes humoribus etiam blandiſſimis irritantur, vehementius oſcillantur et vtique plus excernunt quam reſorbentia, licet eorum vires integrae ſint, recipere queunt; aut laxitas, praeſertim oſculorum, quae tunc nimiopere contentis ſuis cedunt adeoque vaporum loco verum humorem transmittunt. Tum huc referri meretur humorum tranſitus in vaſis lymphaticis, ob horum obſtructionem, compreſſionemue, aut ob tumores, excreſcentias, quin ob parietum concretionem, impeditus, quem vero aquoſam in celluloſa collectionem ſequi debere, manifeſtum eſt.

Frequens hydropis ſaccati cauſſa vaſorum lymphaticorum ſpasmus eſt, qui vel ab acrimoniis, vel a maiori eorum irritabilitate naſci ſolet et eo certius id malum efficit, quo magis occupauerit oſtia, quae tum vaporibus aditum praecludant.

Commemorandus quoque eſt ſanguinis impeditus in venis refluxus; tunc enim ſanguis in arterias, quoniam ex his in venas non libere tranſire poteſt, congeritur, qua con-

congeſtione maior ſuccorum copia in vaſa exhalantia intruditur et eorum finibus excernitur. Nec praetereundi ſunt infarctus atrabilarii, quibus viſcerum functiones perturbantur. Iuxta Cel SYDENHAMVM *) id malum praeſertim in ouariis illae infarctiones producere traduntur; quae vero cauſſa in dubium fortaſſe vocanda eſſet, quum multa exempla proſtent, eiusmodi infarctus non ſemper hydropem, imo ſaepius ſtatum corporis contrarium, nimirum marcorem protuliſſe, niſi et hunc, hydropem ſubinde comitari poſſe, itidem rerum vſus doceret. Suppreſſa ſanguinis profluuia, ſiue naturalia, ſiue conſueta, congeſtiones in vaſis ſanguiferis creant, ideo exhalationem augere ſicque pariter noſtro morbo natalem praebere poſſunt. An et repulſa tranſpiratio ſaccatum hydropem nonnunquam infert? illam in minoribus pleurae vaſculis, neruorum conſenſus vi, conſtrictiones ſuccorumque ſtagnationes, imo pleurae inflammationem excitare poſſe, Celeb. UNZER docet **); quid igitur eſt, cur non aeque hydropem ſaccatum cauſſare valeat, ſiquidem eius effectus non tam vaſis ſanguiferis, quam lymphaticis

*) THO. SYDENHAM *medicin. Werke.* 2. *Band.* p. 209. ec non 356.

**) I. A. UNZER *Phyſiologie. II. Th.* 2 *Cap.* 2 *Abſchn.* §. 464. p. 467.

phaticis contigerit? Glandularum obſtructio interdum hydropem peritonaei ſaccatum *) producere videtur; dantur enim inter peritonaeum et celluloſam, quam nonnulli iniuſte pro peritonaei lamina habent, complures glandulae, quae, ſi obſtructae et volumine ſuo praeter naturam amplificatae ſint, celluloſam ab externa peritonaei ſuperficie dimouent, vaſa lymphatica a cellulis ſuis diuellunt et reſorbtionis functionem interpellant: quum vero arteriolae nihilominus exhalare pergant, vt vapores illud in ſpatium praeternaturale deponantur ibique verum in laticem colligantur, neceſſe eſt. Violentia externa itidem hunc morbum adducere poteſt, aut vaſa lymphatica dilacerando, quod tamen ob eorum elaſticitatem raro fortaſſe eueniat, aut, quod ſaepius fit, contuſione et concuſſione in vaſculis illis debilitatem efficiendo, vt igitur functiones ſuas haud amplius perficere queant. Frequentiſſime vero hydrops ſaccatus natalem ſuum trahere videtur ex inflammatione, quae, vt experientia docuit, haud adeo raro in hydropem tranſire ſolet. Oritur ſcilicet propter inflammationem largior ex arteriolis excretio, atque, quodſi tunc accidat,

*) Confr. PHIL. ALEX. BACHER *über die verſchiedenen Arten der Waſſerſuchten.* p. 113. §. 135.

dat, vt vaſa lymphatica, inflammatione perverſe curata, conſtricta maneant, aquae collectio ineuitabilis eſt; id quod in naturalibus cauitatibus fieri ſolere, compertum eſt: cur non idem in tela celluloſa contingat? Scimus, inflammationem, ſicubi in ſuppurationem abit, ſaepe hic loci abſceſſus formare, qui exitus eſt, quando inflammatio fuerit phlegmonoidea; ſin autem eryſipelatodea fuerit, quippe quae non tam facile in ſuppurationem terminatur, eam laticis ſeroſi effuſionem conſequi poſſe, haud difficile intellectu eſt. Medicorum etiam ſcripta tradunt, hydropes ſaccatos poſt inflammationem ſaepiuscule inuentos eſſe; etenim obſeruatus eſt hydrops ſaccatus cerebri, poſt febrem hydrocephalicam, quae vt recentiores docent, coniuncta eſt cum inflammatione cerebri lenta; haud raro etiam hydrops pectoris ſaccatus, pleuritidem ſecutus, viſus eſt; et peritonitidem pariter hydropem peritonaei ſaccatum produxiſſe, ex multis obſeruationibus conſtat; etiam vtplurimum denique hydrocelen et hydroepiplocelen cyſticam ab inflammatione praegreſſa originem ducere cognitum eſt.

Ceterum et cauſſas illas, quae alios hydropes gignere ſolent, ad noſtrum genus oriundum multum conferre poſſe, haud diſſimulandum eſt.

SECTIO

SECTIO III.

DIAGNOSIS.

§. VII.

Hydrops ſaccatus, quum nullum prae ſe ferat ſignum pathognomicum, quod ſatis clare oſtendat, eum reuera adeſſe, iique, qui eo adfecti ſunt, plerumque, praeſertim in morbi initio, ab omnibus fere moleſtiis immunes ſint, ſemper difficile erit cognitu, quin ſaepe et impoſſibile. Adde, hoc malum clandeſtine oriri tardeque increſcere et ſaepiſſime adeo latere, vt ſenſus noſtros effugiat, ſiquidem ſaccus ita ſit poſitus, vt tactu detegi vel plane non poſſit, vel ſaltem non diſtincte; concedendum igitur nobis omnino erit, morbum hunc raro cognoſcendum eſſe prius, quam ſaccus ad amplitudinem quandam peruenerit; quinimo tunc permultos fore caſus, vbi potius e cauſſarum antegreſſarum cum phaenomenis comparatione malum magis coniectandum quam certe explorandum fuerit; paucis exceptis ſpeciebus, quae ſenſibus ſeſe clarius offerunt.

§. VIII.

Hydrops cerebri ſaccatus iamiam externa aliqua nota nullo modo proditur; quocirca

circa eum adesse e talibus concludere tantum licet symptomatibus, quae cerebri pressionem plerumque consequi solent; qua ex caussa hic etiam aeger animo demissus ac stupidus est et vertigine frequenter vexatur, visus hebescit, pariter et auditus; accedunt affectus soporosi atque totius corporis anaesthesia; quae phaenomena quidem multis ex aliis fontibus enasci possunt, attamen si caussae supra memoratae iis conueniunt, nostrum malum opinari licet.

§. IX.

Hydropem pectoris saccatum in principio symptomata solent comitari, qualia pleurodyne siue pleuritis spuria habet, quo etiam morbo saepissime forsan eum confundi, verosimile est. Si malum magis increscit, anhelatione, tussi sicca, febre lenta, pulsu debili, inaequali, pedum oedemate, scroti intumescentia sese aliquo modo declarat et denique in alterutro thoracis latere, malo adfecto, nonnunquam tumor apparet, quo digitis depresso, anxietas aegroti et anhelatio multum augetur. Aliquando etiam hoc malum cum communi pectoris et pericardii hydrope *) coniunctum est. Quid

*) HALLERI opusc. patholog. obs. 14.

Quid percuſſi pectoris ſonitus *) ad declarandum hunc ſaccatum thoracis hydropem valeat, nondum accurate definitum eſt.

§. X.

Hydrops peritonaei iam viſibili ſeſe prodit tumore; verum ab aſcite eo internoſci poteſt, quod tumor lente incipit tardeque creſcit et in alterutro abdominis latere altius elatus diſtincte etiam circumſcriptus ac fluctuatio minor eſt, neque totum per abdomen animaduertitur; quod porro vmbilicus hic adtollitur prominetque, atque tumor haud ita vt in aſcite, mutata aegroti poſitura, locum ſuum mutat, ſed definitum prioremque tenet; quae quidem phaenomena, ſicubi ſaccus inter celluloſam et muſculos abdominales haereat, manifeſtiora erunt, quam vbi inter eam et peritonaeum verſetur. Ceterum aeger nullas fere moleſtias patitur, niſi, quod in abdomine continuum pondus, atque dolorem obtuſum, tamen leuem ac tenſionem ſentit; ſitis moderata, vrina naturalis fluidorumque ſumtorum proportioni conueniens ac ſedimento illo latiritio, quod in aſcite obſeruatur, vacua

---

*) Leopold. Avenbrvgger inuentum nou. ex percuſſ. thorac. human. abſtruſ. intern. pector. morb. detegend. Vindobon. 1761.

cua eſt; pedes neque tumeſcunt, niſi malum valde increuerit. Difficillime haec hydropis ſaccati ſpecies cognoſci poterit, ſi vna cum ea in foeminis grauiditas coniuncta ſit.

§. XI.

Hydropem omenti haud facile aliquis ab aſcite diſtinxerit, niſi eo, quod tumor in illo tardius creſcit et in loco ſuo circumſcribitur; quod praeſertim aegrotus ex abdominis tenſione atque premente dolore obtuſo diſcernere poteſt; quod etiam reſpiratio liberior, ſitis leuior, appetitus melior, corpus neque tam macrum ſit atque vrinae copia cum potibus aſſumtis magis reſpondet.

§. XII.

De hydrope ouarii iam Celeb. BOERHAAVE *) dixit, eum difficulter cognoſcendum eſſe; tamen in principio facilius erit hanc ſpeciem expiſcari, quam poſtea, quum magis iam increuerit, et phaenomena eius non parum aſcitem ſimulent. Contingit plerumque ſterilibus annoſisque foeminis et quibus menſtrua defierunt fluere; ſignificatur in initio leui dolore et paruo in alterutra regione hypogaſtrica tumore, magnitudine

 circi-

*) BOERHAAVII Aphoriſ. de cognoſc. et curand. morb. p. 299. §. 1223.

circiter nucis iuglandis; paulatim creſcit, ac denique totum abdominis cauum implet, quod tamen tardiſſime ſolet accidere, ita, vt plures anni interea praeterlabantur. Tunc vero fluctuatio quaedam obſcura animaduertitur, cui alui obſtructio, colica, diſpepſia, nauſea, vomitus, anxietas, aſthmaque conſociantur; aegri ſano lateri valde moleſte incumbunt *), femur eiusdem lateris quo ouarium tali malo correptum eſt, tumere incipit ac praeternaturam ſudare, vt TOZZETTI et DOUGLAS **), viri clariſſimi, obſeruarunt.

§. XIII.

Hydrocelen cyſticam ſolo tactu facile eſt detegere; vt vero a commum hydrocele diſtinguatur, id ſignum ſcire expedit, quod tumor, ſicut iam ante memoratum eſt, digito prementi minime cedit, nec aqua ſe per annulum abdominalem reprimere ſinit, nec in eundo aut decumbendo ſedem mutat. Idem et de hydroepiplocele cyſtica valet, quas inter vtrasque ſpecies tamen ... id

*) P. G. WERLHOF *auserleſene Auffätze und Schriften über die Fieber*. p. 401.

**) G. VAN SWIETEN Commentar. de conoſc. et curand. morb. Tom. IV. §. 1223. pag. 147 et ſeq.

id diſcriminis notatu dignum eſt, quod in hac teſticulus aut infra, aut retro diſtincte in ſcroto percipi poteſt, nec vero in illa, vbi prorſus in ſacco abſconditur.

SECTIO IV.

PROGNOSIS.

§. XIV.

Hydropis ſaccati praeſagia quidem pro eius ſede, duratione, cauſſis ac ſymptomatibus diuerſis, nec non reliquis corporis conditionibus valde diuerſa erunt, at tamen vix ſaepe multum proſperitatis aegro promittunt, quia malum vel ſerius cognoſci, vel arti inacceſſum eſſe ſolet. Maxime tunc fortaſſe felix euentus ſperari poterit, ſicubi malum cauſſis externis, nimirum violentiis, originem debeat, quod etiam medicorum ſcriptis comprobatur. Praeterea omnes fere ſpecies, quamuis nonnullae diu impune ferri queant, preſſione magis minusue viciinarum partium functiones turbabunt et febrem cauſſabunt hecticam, quae vitam ſenſim conſumet.

§. XV.

Hydrops cerebri adeo nonnunquam diu durare videtur, quod facci craſſities monſtrat, at ſemper tamen extra memorata ſymptomata, conuulſiones, deliria, ſoporem, paralyſin, apoplexiam et denique mortem producet.

§. XVI.

Hydrops pleurae, vbi ſatis mature cognoſcatur et aqua collecta remoueatur, quandoque ſanationem permittere dicitur; ſaepius vero, quum plerumque ſerius detegatur, vel propter ſaccum disruptum et laticem in cauum thoracis effuſum repentine ſuffocatione, vel febre phthiſica pedetentim ad lethum ducere ſolet.

§. XVII.

Hydrops peritonaei inter omnes ſpecies diutiſſime durare poteſt, praeſertim in foeminis, quippe quibus viſcera preſſioni facilius inſueſcunt, quare exempla ſunt tradita, hanc ſpeciem ſupra viginti quinque annos duraſſe, absque magna moleſtia; ſaepiſſime tamen, ſacco vel ſponte, vel aliqua cauſſa disrupto, in aſciten tranſit, quod malum etiam, quanquam ſaccus integer maneat, viſcerum vaſorumque preſſione ſibi ſocium facere ſolet; vnde perſpicitur, quid hic ſperandum ſit? Quum pauca proſtant exem-

exempla ascitae perfecte sanati; quamuis Celeb. BACHER *) memorabilem perhibeat casum, vbi aqua post saccum diruptum in cauum abdominis effusa, feliciter resorbta atque perfecta sanatio consecuta est.

§. XVIII.

Hydrops omenti, isque si maior est saccus, multo magis viscerum et praesertim intestinorum functiones grauiori pressione interpellabit, aliquando fortasse quoque his in partibus inflammationem atque gangraenam creabit **) sicque citius quam illa vitam exstinguet.

§. XIX.

Hydrops ouarii tarde increscens per plures annos sine magno detrimento ferri potest; quandoque vero enormem in amplitudinem grandescit, ita vt saccus centum et duodecim, imo centum et quinquaginta libras aquae in cauo suo continuisse dicatur ***), vbi omnino facile est intelligere damnum,

*) PHIL. ALEX. BACHER *über die verschiednen Arten der Wassersucht.*

**) RIDLEY obseru. med. pract. et physiol. obs. 33.

***) confr. WILLIAM CVLLEN *Anfangsgründe der practischen Arzneykunst. 4. B. 2te Ausgabe.* p. 203. §. 1709.

damnum, quod ex tantae molis pressione enasci potest. Transit quoque saepius in asciten, quo ferme nec raro confunditur; nam minime improbabilis est Celeb. WICHMANNI *) conclusio, hunc morbum multo crebrius adesse solere, quam obseruetur.

§. XX

Hydrocele et hydroepiplocele cystica inter omnes nostri morbi species felicissimum exitum sperare iubent, quum ambae ita sint positae, vt facilius adhiberi possint artis auxilia, ad quae exploranda nunc accingimur.

SECTIO V.

DE HYDROPIS CYSTICI CVRANDI MODO.

§. XXI.

Hydropis saccati cura vel radicalis vel palliatiua erit, prout malum diuersam fixerit sedem. Perfecte hunc morbum sanamus aliquando, vel remediis, quae aquae collectae resor-

*) Videsis WERLHOFII l, c, p. 400. not.

reſorbtionem efficiunt vaſaque lymphatica denuo ad ſuas functiones peragendas cient, cui conſilio adtingendo parum vomitoriis et draſticis purgantibus vtimur, quae nempe medicamina in noſtro hydropis genere longe tutius quam in aliis adhiberi poſſunt, quoniam viſcera hic vt plurimum integra ſunt, niſi malum iam perquam diu durauerit; vel, quum malum raro tam mature cognoſcatur, quam illa medendi methodus repoſcit, neque remedia facile in partem extra ſanguinis circuitus vires fere poſitam, qualis iſte ſaccus eſt, agere poſſint, eo, vt laticem paracentheſi emittamus et poſtea iniectionibus leniter irritantibus inflammationem in caui parietibus excitando eorum inter ſe concretionem efficere ſtudeamus. Palliatiue huic morbo medemur omnibus in caſibus, quibus aquae reſorbtio non amplius habet locum atque laticis emiſſio quidem, verum caui parietum conferruminatio ob ſacci amplitudinem ſitumue neque fieri, neque tentari poteſt. Vbi harum indicationum nulli ſufficere licet, malum incurabile eſt.

§. XXII.

In hydrope cerebri ſaccato, ſi quis eundem mature cognoſcat, vel callidiſſime conjiciat, eadem curandi via vt in communi cerebri hydrope ineunda eſſe videtur; etenim primo

primo non facile a se internosci possunt, quia vtrisque similia sunt symptomata, neque vlla est via, qua sacco propius accedere possimus. Quocirca, si malum nondum valde processerit et inflammatio adhuc suspicanda sit, methodum antiphlogisticam adhibere licet atque praesertim salia media cum antimonialibus consociata et dein mercurium dulcem cum sulphure antimonii aurato coniunctum; postea quoque caput saepius at leniter fricandum et, capillis forfice resectis, non vero prorsus abrasis, leuissimo sed magno emplastro vesicatorio obtegendum est, ita vt ne vesiculae excitentur, sed tantum humores ad cutem magis alliciantur; sic etiam vesicatoria fortiora nuchae imposita diuque in suppuratione conseruata humores deriuando vsui fuisse laudantur.

§. XXIII.

In hydrope pectoris saccato, praesertim in morbi initio tentari potest, quid vtilitatis a diureticis et diaphoreticis proueniat; si vero malum iam vlterius processerit, ea parum auxilii promittunt, tunc autem vlcera in thorace artis ope producta, vt vesicatoria diu suppuranda atque setacea plus emolumenti afferunt, quamuis nec iis perfecta sanatio exspectanda fuerit; maxime id iam conducet, vt, simulac modo locum, quo

saccus

faccus haereat, clare distincteque expiscati simus, paracenthesin instituamus et, aqua emissa, iniectionum leniter stimulantium auxilio inflammationem caui parietum excitando saccum abolere adfectemus; quod tamen caute ac circumspecte fieri debet, ne inflammatio iusto validior enascatur sicque periculosiori morbo oriundo ansa praebeatur.

§. XXIV.

Hydrops peritonaei, si detegatur, antequam saccus valde condensatus sit, interdum aquae resorbtionem admittit, quam drasticis purgantibus vomitoriisque, minoribus dosibus adhibitis, quippe quibus vasa lymphatica ad functiones suas reagendas denuo adpelluntur, obtinere operam damus. Vbi saccus autem crassitiem quandam nactus eiusque cauum adeo omni cum systemate lymphatico communione orbatum sit, omnino erunt irrita. Quodsi tunc saccus nondum vehementer amplificatus, atque propius extrorsum situs sit, vnicum et optimum est consilium, vt paracenthesin faciamus, vtpote quae interdum radicalem sanationem praebebit, si, aqua debita cautione emissa, methodo ante exposita sacci parietum inter se concretionem efficere valeamus. Sin autem saccus pergrandis atque profundius ad abdominis cauum collocatus sit, non facile

facile eſt hunc ſcopum adtingere, vnde ad palliatiuum curandi modum, quem punctio praebet, confugiendum eſt, quae operatio plurimum leuaminis aegroto praeſtare ſolet et hic creberrime iterari poteſt, vt plures obſeruationes docent; immo conſtare videtur, omnibus illis in caſibus, vbi punctionem toties adhibitam eſſe atque aegroti vitam per longum temporis ſpatium conſeruaſſe, perhibetur, minime, vt medici crediderunt, aſciten, ſed hydropem peritonaei ſaccatum adfuiſſe.

§. XXV.

In hydrope omenti multo minus promouendum fuerit, etenim, niſi draſtica remedia purgatoria ac diuretica proſunt, parum aut nihil auxilii ſupereſt, quoniam ſaccus chirurgicis adiumentis inacceſſus eſt, excepto caſu illo feliciori at forſan rariſſimo, quo omentum maius ſaccum conſtituens cum interna peritonaei ſuperficie concretum eſt, vbi omnino, ſi id diſcernere liceret, paracentheſis ope medelam ſperare poſſemus.

§. XXVI.

Hydrops ouarii quandoque ſanatus fuiſſe dicitur draſticis purgantibus ac diureticis, in mali principio porrectis, quae tamen et ſaepius opem denegarunt; at vero vnicum

cum fere praebent auxilium; etenim ouarii exſtirpatio nonnullis propoſita raro ſi vnquam felicem promittit exitum, neque conſultum eſt, paracentheſin facere, niſi ſaccus amplitudinem quandam adeptus et cum peritonaeo concretus immobilis factus ſit: de quo vero ſi conſtiterit, paracentheſis inſtituenda et ſacci coaleſcentia iniectionibus congruis, vt ſaepius iam propoſuimus, procreanda eſt.

§. XXVII.

Hydrocele et hydroepiplocele cyſtica potiſſimae ſunt ſpecies, quae radicalem ſanationem admittunt, quam eo obtinemus, vt aquam collectam inciſione emittamus et poſtea itidem inflammatione in ſacco excitanda parietum concretionem efficiamus; quod tamen neque ſine omni difficultate fieri poteſt, ſi quis conſideret, inflammationem hancce, vbi iuſto vehementior ſit, validam febrem inflammatoriam, quae ſymptomatibus neruoſis coniuncta eſſe ſolet, aegrotum in vitae periculum facile adducere, et ſi iuſto leuior, ad ſaccum coaleſcendum non ſufficere. Quare proximum erit, vt facta inciſione paulum maiori, vulnus ſiccis modo turundis expleatur ſicque eius ſanatio ſecundum artis chirurgicae regulas perficiatur.

Sed

Sed hic dissertationis meae finem facere liceat; etenim, quanquam me non lateat, multa adhuc restare, quae nostro morbo sanando commendata sint, huius libelli fines angustiores sunt, quam vt omnia amplecti possint; tum profecto etiam nimium hucusque caremus certis de hydrope saccato feliciter sanato obseruationibus, quam vt plura generatim certioraque iis quae hactenus indicauimus, proponere valeamus.